

## P R A E F A T I O

Leonclauii et Stephani coniecturis dedit, nulla facti ratione reddita. Itaque omnis illius editionis commendatio est a chartae formularumque typographicarum elegantia.

His igitur exemplis vfi sumus in textu nostro concinnando, sed vt Stephanianum, quemadmodum diximus, primas teneret: ceterorum veluti subsidio vteremur, cum res et ratio suaderet. Sed his alia adiumenta adiuncta sunt, primum librorum scriptorum, qui nobis quatuor contigere: duo e Batauis per *Ruhnkenium* nostrum V. C., de Vindobonensi Bibliotheca Caesarea totidem. Ex illis primus est Leidensis e Vossianis copiis; alter e bibliotheca *Mermanniana*, qui nuper, cum omnium eruditorum, tum magno meo in primis luctu, litteris ereptus est. Vtriusque excerpta submitit is, quem dixi, *Ruhnkenius*. Sed posterioris excerpta in libro tertio desinunt. Vossianum librum indicauimus per notam MS. 1: alterum MS. 2 insigniuimus.

Sed cum e Commentariis Bibliothecae Vindobonensis didicissem, in ea seruari duo ἀπομνημονευμάτων exempla scripta, adii per litteras *Gazanigam*, Theologiae in Vniuersitate Vindobonensi Prof. eruditissimum, cuius humanitatem et doctrinam ante paucos annos, cum ad me visendum venisset, cognoram, eumque rogavi, vt eorum librorum excerpta mihi, si posset, procuraret. Is impetrauit a *Martinesio*, Viro doctissimo, Bibliothecae Caesareae Custode, vti mea causa hunc laborem susciperet, et eos libros, quibus locis vellem, cum edito exemplo compararet. Alter liber, quem Vind. 1 appellauī, libros omnes habet, alter tantum primum et secundum. Qui libri quid nobis in textu constituendo profuerint, notae nostrae docebunt.

Praeter hos libros vsus sum *Stobaeo*, nec modo exempli, quo et alii vfi sunt ante nos, Basileensis, sed etiam melioris Veneti, quod ex officina *Zanneti* prodiit a. 1535, 4, *Fr. Trincauello* curante, cuius nomen etiam aliis scriptoribus Graecis diligenter editis nobilitatum est

b

inter